

ergo id quod obtulit secundum ordinem et ritum talis sacerdotii, est sacrificium proprie dictum. Consequentia patet, quia illud est proprie dictum sacrificium, quod correlative se habet ad sacerdotium proprie dictum, juxta regulam Apostoli ad Hebræos v: *Quod omnis pontifex constituitur ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*; sicque intellexit Ecclesia in Concilio Tridentino sess. xxii, cap. i. Antecedens vero probatur (scilicet, quod illud sacerdotium Christi sit proprie dictum) quia ut retulimus supra ex Apostolo ad Hebr. vii: *Si consummatio esset per sacerdotium leviticum, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.*

XVIII. Unde sic deducitur argumentum: Sacerdotium leviticum fuit sacerdotium proprie dictum; sed hoc translatum est in aliud sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, per quod etiam lex translata fuit: ergo sacerdotium secundum ordinem Melchisedech est verum et proprium sacerdotium, si quidem succedit sacerdotio Aaronis, quod erat verum et proprium sacerdotium, atque ejus legem transtulit in evangelium; ergo tam verum et proprium est hoc sacerdotium, sicut illud Aaronis; ergo et sacrificium ei correspondens est verum et proprium sacrificium; sed ordo et ritus sacerdotii Melchisedech est oblatio panis et vini, ut constat Gen. xiv: *Protulit panem et vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi*; ergo etiam ordo et ritus sacerdotii Christi, est prolatio panis et vini. Illa enim prolatio Melchisedech fuit per modum sacrificii, et functionis sacerdotalis, ut significat illa causalis: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*. Christus autem non obtulit panem et vinum, nec surrexit secundum

ordinem Melchisedech sacerdos, nisi quando in cœna panem et vinum consecravit, et eucharistiam fecit, tradiditque discipulis, et sic semper faciendum præcepit; ergo in illa oblatione eucharistiæ, et non in aliquo alio consummatur sacrificium secundum ordinem Melchisedech.

XIX. Ex eodem principio deducitur hoc sacrificium esse unicum in Ecclesia, nec posse aliud dari; et ita singulare sacrificium appellavit Tridentinum sess. xxii, in principio. Et ratio est manifesta, quia ut Apostolus probat necessarium fuit alium surgere sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron dici; ergo non est in Ecclesia aliud sacerdotium quod succedat levitico, nisi sacerdotium secundum ordinem Melchisedech; ergo neque aliud sacrificium quam secundum ordinem Melchisedech, scilicet in pane et vino, eo modo quo Christus Dominus obtulit, et offerendum præcepit, dicens Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Et ita perpetuo in Ecclesia observatum est, ut unicum tantum eucharistiæ sacrificium agnosceretur. Unde dicitur in quadam oratione Ecclesiæ: « Deus qui legalium differentiam victimarum unius sacrificii perfectione sanxisti. » Et S. Leo papa sermone vii de passione: « Ut uno ait expleretur sacrificio variarum differentia victimarum; » quod etiam docet Chrysostomus supra Psalmum lxxvi, aliique patres communiter.

XX. Congruentia autem hujus esse potest, quia sacrificium ad hoc deservit, ut colatur Deus per illam supremam protestationem, offerendo illi optimum quod potest offerri in recognitionem summæ majestatis, ad obtinendam propitiationem peccatorum, et alia beneficia et gratias pro illis reddendas. Ad hæc autem

omnia non potest dari aliquid aut melius aut efficacius, quam ipsa eucharistia; neque aliquid æquale, cum ex parte rei oblatæ sit ipsemet Christus, qui oblatæ est in cruce; ergo conveniens est illud tantum offerri Deo, quia quidquid præter illud offerretur, esset inferius et inefficacius, et sic minus gratum Deo. Conveniens ergo est, quod sacrificium istud sit unicum. Denique sacrificium hoc ex parte rei oblatæ est infiniti valoris, et repræsentat sacrificium crucis; imo est idem cum illo in substantia. Constat autem quod sacrificium crucis ratione infiniti valoris fuit unicum: *Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, ut inquit Apostolus; ergo etiam hoc sacrificium, quod est perfecte repræsentativum illius, et ejusdem valoris infiniti, debet unicum esse, quia perfecte repræsentat illud, et continuatur cum illo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXI. Objicies primo: Sacramenta multiplicantur, cum sint septem, non obstante quod per illa nobis communicatur tota efficacia sanguinis et passionis Christi: ergo etiam possunt multiplicari sacrificia, quorum unum sit perfectius alio, sicut unum sacramentum est perfectius altero; et sic non est inconveniens, quod res tanta, qualis est passio Christi, variis modis repræsentetur, et in sacrificium Deo offeratur. Et confirmatur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ in oblatione cerei paschalis dicit: « Suscipe sancte Pater incensi hujus sacrificium vespertinum: » ergo aliquid potest per modum sacrificii offerri præter unicum eucharistiæ sacrificium.

XXII. Respondetur esse diversam rationem de sacramentis et de sacri-

ficio; sacramenta enim primo et per se ordinantur ad sanctificandum nos, et ad dandum nobis effectus gratiæ per redemptionem, et sanguinem Christi; sacrificium autem ordinatur ad reddendum cultum Deo. Non repugnat autem effectum gratiæ et redemptionis Christi Domini multiplicari, etiam si ipsa passio et redemptio non multiplicetur. Unde cum sacramenta respiciant istos diversos effectus, non repugnat multiplicari; præsertim quia diversæ dispositiones exiguntur ad istos diversos effectus (verbi gratia, ad obtinendam primam gratiam, vel augmentum illius) sacrificium autem repræsentat ipsam passionem Christi ut est in se, et non solum in effectu suo, id est, in gratia nobis collata, imo est idem in substantia cum illo sacrificio. Unde sicut fuit una illa passio in se, ita congruenter unico sacrificio repræsentatur.

XXIII. Ad confirmationem respondetur, incensum dici sacrificium lato et improprio modo, non proprie et rigore, quia oblatio incensi non requirit sacerdotium, cujus correlativum est sacrificium; potest enim offerri a diacono; et de facto ita offertur in benedictione illa cerei paschalis.

XXIV. Objiciunt secundo heretici: Si eucharistia est sacrificium, maxime id deduceretur ex facto Christi quando illam instituit, et Ecclesiæ celebrandam commisit; sed neque ex verbis ejus, neque ex factis Christi colligitur talis institutio: ergo non est dicendum eucharistiam esse sacrificium. Consequentia patet, quia res tanta, qualis est sacrificium ejusque institutio, et exclusio veterum sacrificiorum, non debuit a Scriptura prætermitti, nec potest sufficienter constare de voluntate instituentis, nisi per revelationem Scripturæ. Antecedens autem probatur: Non constat ex ver-

bis Christi, quia Joan. vi solum promisit sacramentum, dicens: *Qui manducat ex hoc pane vivet in æternum*; qui utique est effectus gratiæ, et correspondet sacramento. Quando autem illud instituit, solum vocavit testamentum, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, Luc. xxii, nusquam autem appellavit sacrificium. Non est autem idem sacramentum et sacrificium, cum sacramentum ordinetur ad sanctificandum nos; sacrificium ad reddendum cultum Deo. Ex factis vero Christi nullatenus colligitur ratio sacrificii, quia Christus instituit convivium, non immolationem; posuit mensam, non altare; sedendo et cœnando, non orando vel adorando illud fecit. Non dixit Patri: Offero tibi hoc sacrificium. Non dixit discipulis suis: Sacrificate et offerte; sed: *Accipite et comedite inter vos, et manducate: Bibite ex eo omnes, etc.* unde ergo habemus verba significantia sacrificium.

XXV. Nec obstat, quod dixit: *Hoc facite*, quia solum dixit ut facerent id, quod ipse faciebat; ipse autem non significabat se sacrificare, nec dixit illis: Hoc facite immolando, sacrificando; sed: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo eucharistia solum deservit pro memoria et repræsentatione sacrificii crucis, non pro vero et proprio sacrificio; præsertim quia sacrificium exigit immolationem et immutationem, seu mactationem hostiæ, quæ sacrificatur; hic autem solum est imago, aut repræsentatio immolationis factæ in cruce; non vero est immolatio vera in se, alias oporteret pluries Christum pati et immolari, quod tamen negat Apostolus dicens ad Hebr. ix: *Quod si sæpius necessarium fuisset offerri, oportuisset ipsum frequenter pati ab origine mundi.*

XXVI. Confirmatur, quia si ista

oblatio est vera et propria immolatio Christi, ergo tantæ efficaciam et virtutis est, sicut totum sacrificium oblatum in cruce; ergo in hoc sacrificio, et non in cruce consummaret nostram redemptionem, quod est contra Scripturam. Patet consequentia, quia illa oblatio facta fuit a Christo Domino dum erat in statu viatoris ante mortem: ergo operabatur infinitam satisfactionem ac redemptionem; ergo superfluum erat mori, et gratis Christus mortuus est, si ante mortem suam oblatum et immolatum est sacrificio proprie dicto in eucharistia, exhauriente omnia peccata, non minus quam sacrificium crucis, quia minoris virtutis est.

XXVII. Respondetur negando antecedens. Ad probationem respondetur, constare rationem sacrificii in eucharistia præcipue ex ipso facto Christi, proferente species panis et vini secundum ordinem Melchisedech, et verbis suis præcipiendo Apostolis ut hoc ipsum facerent. Itaque non est necesse quod verba Christi significant in actu signato se sacrificare, et immolare Deo illud corpus et sanguinem; neque enim talia verba requiruntur ad offerendum verum sacrificium; nam etiam sacerdotes veteris legis, quando immolabant victimas, et offerebant hostias, non dicebant in actu signato, hoc sacrifico, vel hoc offero Deo; sed ipso exercitio significabant se sacrificare. Sic ergo Christus aliquando exercuit officium sacerdotii sui secundum ordinem Melchisedech, secundum quem (ut ait Apostolus) *Necessarium fuit alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici.* Nusquam autem invenitur Christus talem ordinem sacerdotii exercuisse, nisi quando obtulit panem et vinum, quod pertinet ad ordinem Melchisedech, et sic faciendum præcepit in

Ecclesia, quod solum invenitur in ultima cœna, in qua panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertit, et per modum testamenti proposuit: sicut vetus testamentum in sanguine sacrificiorum sancitum fuit.

XXVIII. Ex hoc facto Christi, et verbis quibus illud præcepit, colligitur sacrificium esse factum in Dei cultum, et in memoriam passionis Christi oblatum; maxime autem colitur Deus memoria talis passionis: nec potest assignari quod alibi obtulerit panem et vinum secundum ordinem Melchisedech, nisi in hoc facto; ergo illud quod faciebat Christus tunc, sufficienter comprobatur fuisse sacrificium hoc ipso, quod comprobatur juxta ordinem sacerdotii Melchisedech fuisse, id est, proferendo panem et vinum; neque enim alibi legitur id fecisse. Quod autem in mensa fuerit et sedendo et cœnando, nihil de ratione sacrificii diminuit, quia Christus tunc substantiam sacrificii instituebat, non cæremonias, quarum dispositionem commisit Ecclesiæ. Conveniebat autem tunc ita offerre in cœna, ut umbra agni paschalis veritati quam significabat, conjungeretur; et sic in ipsa cœna agni vetus pascha novo excluderetur: sacrificio et in ipsa ultima cœna, et hora qua transiturus erat ad Patrem illud instituit, quia per modum testamenti, quod ante mortem fit, illud condebat. Nec repugnat eadem rem secundum diversas considerationes et sacramentum esse, quatenus ordinatur ad sanctificandum nos; et testamentum novum, quo Christus seipsum nobis relinquebat; et sacrificium quod in cultum Dei proponebat: nam, ut inquit Augustinus libro iv de Trinitate, cap. xiv: « Quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effecta sacerdotis nostri. »

XXIX. Ad replicam autem, quia Christus dicendo: *Hoc facite*, non significabat se sacrificium offerre, jam diximus id significasse ipso exercitio, quatenus exercebat illam oblationem panis et vini secundum novum sacerdotium, et secundum ordinem Melchisedech; quem ordinem non legimus alibi exercuisse. Nec obstat, quod præcipiebat ut facerent hoc in sui commemorationem; bene enim stat, quod illud factum sit secundum ordinem Melchisedech, et tamen sit in memoriam Christi. Sicut antiqua sacrificia erant repræsentativa passionis Christi: *Quia omnia in figurâ contingebant illis*; et tamen vera et propria sacrificia erant; ergo bene stat, quod eucharistia offeratur in memoriam sacrificii crucis jam transacti, et tamen in se sit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Et similiter dicitur immolatio, non quidem cruenta et realis, sed mystica, quatenus sanguis ponitur seorsum in speciebus vini, et corpus seorsum a sanguine in speciebus panis. Nec oportet omnia sacrificia esse mactationes, aut immolationes cruentas; nam etiam panes propositionis, alique fructus et liquores offerri poterant in sacrificium, non tamen per modum immolationis aut mactationis. Et quando Apostolus dicit, Christum non posse pluries offerri, loquitur de oblatione cruenta in cruce, quia fuit consummativa redemptionis; sacrificium autem eucharistiæ non est consummativum redemptionis, sed applicativum ejus consummatæ, et sic multiplicari potest quantum ad applicationem, propter multitudinem offerentium et communicantium: est tamen unum quantum ad valorem, quia ex parte rei oblata est idem cum sacrificio crucis.

XXX. Ad confirmationem respon-

detur negando potuisse consummari redemptionem nostram in illa oblatione eucharistiæ facta a Christo, licet esset ejusdem valoris et efficaciam cum sacrificio crucis; tum, quia eadem ratio poterat currere de omnibus aliis operibus Christi, quia cum essent a persona infinita, et valde meritoria et satisfactoria, bene poterat Christus, si vellet, in quolibet illorum consummare nostram redemptionem: cæterum de facto noluit illam consummare nisi in cruce, ut copiosa esset redemptio, et magnum patientiæ præberet exemplum; oblatio ergo eucharistiæ, quoad sufficientiam consummare posset redemptionem; de facto tamen non consummavit, quia id reservatum erat sacrificio crucis; tum etiam illa oblatio eucharistiæ facta a Christo Domino habebat rationem testamenti, dicente ipso: *Calix novum testamentum est, etc.* testamentum autem non potest valere nisi interveniente morte testatoris; ergo neque illa oblatio eucharistiæ valorem consummatum habere poterat, nisi per mortem Christi; tum etiam, quia illa oblatio fiebat a Christo, et præcipiebatur fieri in commemorationem sanguinis sui realiter effusi in cruce: ergo ex ipso modo instituendi dependebat a sacrificio crucis, et ordinabatur ad illud; et sic non poterat sine illo consummare nostram redemptionem.

ULTIMO INQUIRES IN HOC ARTICULO, IN QUA ACTIONE CONSISTIT SACRIFICIUM EUCHARISTIÆ, IN QUANTUM SACRIFICIUM.

XXXI. Respondetur, plures actiones ad istud sacrificium concurrere, sed non ex æquo, aut in eodem gradu; nam quædam actiones sunt

præparatoriæ, quibus præparantur animi audientium et sacerdotis ad tale sacrificium devote peragendum et consecrandum; aliæ sunt consecratiæ ipsarum specierum, sub quibus ponunt Christum Dominum, separando mystice sanguinem a corpore, qui realiter, in cruce separatus est; aliæ sunt consecratiæ ad consecrationem, ut communicatio sacrificii et sumptio illius a sacerdote pro se, participative autem ab assistentibus; et tandem gratiarum actio pro sacrificio oblato.

XXXII. De primo genere actionum certum est non posse in illis consistere essentialiter sacrificium, quia illæ actiones solum sunt præparatiæ ipsius materiæ remotæ, quæ est panis et vinum; hæc autem non est ipsa materia, seu res oblata in sacrificio, quia res oblata et immolata est ipsummet corpus Christi Domini, juxta quod definit Concilium Tridentinum sess. xxii, cap. ii: « Quod in hoc divino sacrificio idem ille Christus continetur et immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruento obtulit. » Et infra: « Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: » ergo ipsa substantia panis et vini, et quæcumque actiones circa illam ante consecrationem non possunt constituere essentialiter hoc sacrificium. Cum autem dicimus corpus Christi esse rem oblatam, non excludimus species ipsas sacramentales, sub quibus continetur, et quibus mediantibus hoc sacrificium redditur visibile, et fit secundum ordinem Melchisedech in specie panis et vini: pertinent ergo ad sacrificium, non tamquam substantia ipsa et res oblata, sed tamquam contentivum externum et visibile rei oblatae.

XXXIII. Circa alias actiones, quæ vel sunt ipsa consecratio, vel post

consecrationem fiunt, variæ sunt theologorum sententiæ: quæ tamen reduci possunt ad tres præcipuas. Prima affirmat rationem sacrificii eucharistiæ essentialiter consistere in consecratione panis et vini, licet respectum et connotationem dicat ad ipsam sumptionem, quia sacrificium ita Deo offertur, quod consumi debet et communicari ipsi sacerdoti et populo, juxta quod dicit Paulus I ad Corinth. x: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Pro hac sententia Suarez hic disput. lxxv citat S. Thomam hac quæstione lxxxiii, art. iv, Gabrielem, Scoto, Cano, Bellarminum, et alios. Secunda sententia existimat consistere essentialiter rationem sacrificii in ipsa sumptione facta a sacerdote, licet præsupponat essentialiter consecrationem factam, quia sine ipsa non potest res consecrata sumi; pro qua sententia citantur plures Thomistæ, ut Soto, Cano, Ledesma, et alii apud Suarez ibidem sectione quinta.

XXXIV. Tertia sententia existimat in quacumque actione, ex his quæ sequuntur post consecrationem, posse consistere essentialiter sacrificii, quia quælibet est actio religiosa circa corpus Christi facta in cultum Dei: non tamen requiritur determinare et in singulari ista vel illa, sed quælibet sufficit; sicut in numero quælibet unitas potest esse ultima, et in loco quælibet superficies potest continere locatum. Ita magister Nugno hic quæst. lxxxiii, art. i, in secunda parte, dub. i, difficultate ii; et magister Cano lib. xii de locis, cap. xiii dicit quatuor actiones principales, quæ fiunt in hoc sacrificio (scilicet consecrationem, oblationem vocalem, fractionem hostiæ et sumptionem) perti-

nere ad integritatem hujus sacrificii. Et non dixit pertinere ad essentialitatem: unde tandem posset aliquis existimare, hoc sacrificium non consistere in unica indivisibili actione, sed in aggregato ex pluribus, quia omnes illæ ad integritatem sacrificii concurrunt.

XXXV. Ut autem quod probabilius est in hac parte tradamus, advertendum est, quod cum tota essentia hujus sacrificii pendeat ex institutione Christi, neque ejus institutio constet aliunde quam ex ejus facto, non licet nobis aliam actionem designare pro essentiali ratione hujus sacrificii, quam illam qua Christus Dominus sacrificavit, quia non est dubium Christum Dominum obtulisse tunc essentialiter et verum sacrificium secundum ordinem Melchisedech, ut testatur et definit Concilium Tridentinum sess. xxii, cap. i; imo in tantum nunc offertur Deo sacrificium verum et essentialiter, in quantum facimus idem quod Christus fecit, quia ipse præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem:* ergo in eadem actione essentialiter debet consistere sacrificium, in qua Christus Dominus illud obtulit et perfecit; alias non faceremus nunc id quod ipse fecit sacrificando.

XXXVI. Ex quo principio, in hac parte certo, manent exclusæ ab essentiali ratione sacrificii plures actiones quæ nunc fiunt post consecrationem, et non constat eas fecisse Christum Dominum; sicut est verbalis oblatio quæ fit post consecrationem elevatio hostiæ et calicis cum proponuntur populo adoranda, benedictiones quæ super ipsum sacramentum fiunt, et aliæ similes actiones; nam sine illis factum est hoc sacrificium a Christo, et modo si omittantur ex aliquo accidenti, non propterea desinet esse verum sacrificium; et ipsa verbalis oblatio post consecrationem fit in persona Ecclesiæ, ut patet